

M. JOHANNIS JACOBI STÜBELII, <sup>12</sup> Rectoris  
Annæmontani

# DISSERTATIO PA- NEGYRICA,

*Quâ*  
Comparationem certis in rebus instituit Summorum  
Principum, AUGUSTI I. gloriosissimæ memoriæ, atqve  
AUGUSTI II. hodiè rerum potiti, Regum  
Poloniarum,

*Et*  
AD ACTUS ORATORIOS  
DE REBUS POLONICIS,

quales nunc sunt,  
*d. 2. & 4. Martii 1698, post antemeridiana sacra fini-  
ta habendos,*

Observantiâ eâ & humanitate, quâ par est, invitatum  
ivit Ephorum maximè Reverendum,

Scholarchasq; cæteros, Patresq;ve civitatis Nobiliss:  
& amplissimos, omnesq; sacri civilisq;ve ordinis Patronos ac  
Fautores Lycei nostri

Dignitate suâ Venerabiles, Musarumq;ve nostrarum æstimatores singulos  
& AMICOS, quibusvis officiorum generibus  
demerendos.

Premissa est Dedicatio

*Ad Perillustrem ac Generosissimum Dominum*

## DN. WOLFFGANGUM DIETERICUM à BEICH- LINGEN,

Dynastam in Tzschornâ, Dallwiz, Baseliz &c. Serenis-  
simi ac Potentissimi Regis Poloniarum & Electoris Saxonie Comitem &  
Confiliarium sanctiorem, MECENATEM gratiosissimum.

Annæbergæ, Literis Davidis Nicolai.



*Perillustris ac generosissime Domine,  
Gratiosissime Domine,*



Utrum omnium ora oculosque ad tui admirationem, corda & animos ad cultum tui amoremque incredibilem, voces atque calamos ad laudes tuas commemorandas incites ac erigas: cur ego cunctator essem segnior, & postremus accederem, inter adfurgentes tibi, ac venerantium officia conferentes? Divina tua virtus luculentis apud nos indicibus agnita contineri Saxoniae spatiis, hoc est latere in nimis arcto angulo, noluit: in ipsum orbis Sarmatici theatrum gestiit prorumpere, & quicquid in patriam didiceris, explicare. Quod summam etiam facis dexteritate, in oculis *Potentissimi* REGIS, cujus consilia moderaris, prudentiae ac factorum conscios habens experientissimos viros, testem ordinem universum Poloniae Procerum, spectatricem aulam lautissimam, praekonemque famam amplissimam & immortalem. Ecce conati sumus loco nostro augustiora & superantia vires: & veremur, ne in eam opinionem quis adducatur, res tam splendidas excelsaque ingenti audacia nostra deteri. Age igitur, Augustissimum Regem intercessione tua permove, ne sua maiestate indignum ac humile putet, se ac argumenta gloriae suae a me ac discipulis meis celebrari. Te ipsum vero etiam ab illo te coli obsequiis patere, cujus praecipis olim adolescentulus, septennio integro, te formari fingique passus es, quique domui tuae ac nomini tuo erit aeternum dicatissimus. Bone DEUS, quae tua mens erat in teneris statim annis? Quam grandia minabatur generosa illa indoles? Quis tuus ardor erat, quis spiritus? Quid sublime ac arduum non cogitabas, quarebas, exoptabas? Vota mea saepius igneo impetu antevertens, & juvenis tibi praefecti exercens ingenium, solertiaque & acumine inquirens in ea & penetrans, quae doctis ducentisque excederent captum ac facultatem. Summa de te statim polliciti sumus nobis: ad quae tamen spe citius evolasti. Plus sperari vix potuit. Jam enim in eo enitescis culmine, ad quod paucissimis contingit eniti. Sed idem tibi tuisque dignitatis est, quod vitae principium: & ex BEUHLINGIO nescit aliquid nasci mediocre. Non crescendi vobis ordo, qui aliis. Vestra saltu tollitur felicitas: apicem tenetis properantes per gradus, & perfectio in initiis cernitur. In *Te ac Fratibus Generosissimis* (e quibus GOTTLOBIUS ADOLPHUS in Ducum fortissimorum jam excellit numero;) si in aliis ullis, documento perspectum egregio, quid mens indolesque, nutrita rite sub faustis penetralibus, valeat. Ad quae dum cogitatione mea deferor, *Illustrissimi Parentis vestri*, ejusque de Rep. & me meritorum recordatio me totum extra me rapit.

Multa viri virtus animo multusque recurfat  
Gentis honos, haerent infixi pectore vultus  
Verbaque:

De maximis beneficiis nihil addam, & de constanti adhuc gratia, cujus nuper admodum pignus habui certissimum, quaeque mihi pro fulcimento in hac tenui fortuna fuit, semperque futura est. Vivite, florete, triumphate *Illustres animae*: durate diu, natae ad edenda facinora, publico utilia, & ad infinita praekoniam promerenda. Aetatem vincite Nestoris, Hectorisque ac Cyneae gloriam. Tu vero imprimis, Domine, cresce, si quod ad summum excrevit, proficere amplius potest, stupendis auctibus, & est fastigio illo, in quo positus effulges, indulgentiae tuae radios derivare ac demittere in valles meas ne dedignare. Perillustris Excellentiae tuae

*Scr. Annabergae III. ante Kal. Mart.*

*A. O. R. M. DC. XCVIII.*

Devotissimus Cliens

**M. Joh. Jac. Stübelius, Rect.**

*IPSE*



*IPSE faciet!*



Illud proximè tempus imminet, quo ut maxima vis est vetustatis & consuetudinis, tridui otium nostris etiam solet concedi Musis: Quod anteqvam fieret, exercendam duxi ac subigendam his addictam ætatem se dignis laboribus, ut quas mori aliàs acceptas ferunt ferias, non secus ac Spartana pubes cibum, sagittis antè feriendum, studio quasi suo meruisse viderentur. Bis septem verò è toto agmine, quod sub signis nostris militat, elegi, facturos sui periculum, dicendo palàm pro concione advocandà, & probaturos hoc modo, se non indignos brevi, ad spiritum recipiendum, indulgendâ sibi reqvie. Cui quidem incepto nulla opportunior materia visa est adhiberi posse, quàm quæ omnium fermè inter se colloquentium jam intelligitur. *Polonica res* nos allexerunt novitatis illecebrâ? *Polonica res* præ aliis obversatæ animo sunt, quærenti ac dispicienti, de quò declamarent nostri. *Polonica res* argumentum suppeditârunt copiosum & conveniens nobis, in quo **PRINCIPI CLEMENTISSIMO**, cui summa illarum commissa, observantiam, & genti bellicosissimæ, nunc etiam cognatæ sub capite uno, affectum contestaturi, pro modulo Ingenii occuparemur. Postquam igitur inter singulos divisæ fuerunt operæ, suo cuiqve munere assignato, vix quicquam jam restitit, nisi ut scriptione aliquâ, in publicum emissâ, indicis functionâ partibus, quid agitaremus, quidqve susceptum rei fuerit, faceremus notum omnibus, atqve ita retento à priscis more invitandi hospites ac auditores, nostrum exequeremur officium. Hic autem dignum aliquid graviore instituto comminiscendum fuit, & cum de *Maximo Principe ac Illustrissimâ Republicâ* vellemus agere, non licere nobis creditum præfari, quæ aliena tantis nominibus, aut his minùs accommodata benevoli Lectores judicarent. Quare cum deflectere jam decrevissem à tritâ mihi hætenus viâ, nec libèret, *plures molestias explicare doctentium in scholis*, industriâ odium ad constandum aptissimâ, donec æqvior tutiorqve inchoata persequendi ratio daretur: non vidi cur diutiùs fluctuarem, nec arripere confestim, quod dicendorum à nostris nobilitati haud paulò responderet rectiùs! **Quid multis moror? FRIDERICI AUGUSTI** nostri, regnum hoc tempore adepti

adepti Polonorum, in quo nihil non regale vide-  
tur, *nomen regium ac verè augustum* facile me  
perduxit eò, ut de *Sigismundo Augusto, Rege*  
*quondam Poloniae, sive Augusto I.* hujus nominis,  
in regnantium ibi numero, commentari quædam  
constituerim, hac lege, ut per vestigia illius AU-  
GUSTI SARMATICI procedendo, expende-  
rem pleraque, in quibus simillimus illi sit AUGU-  
STUS noster SAXONICUS: iis, in quibus à se  
invicem ambo plurimum distarent, jam insuper  
habitis. De *nominibus AUGUSTORUM* res  
per se clara est, nihil differentibus, nisi quod alter  
SIGISMUNDI, alter FRIDERICI prænomen  
gestet: convenientiâ in ipso discrimine notabili:  
cum *Victorias* illud, hoc *pacem* subjiciat, res diver-  
sissimas primâ specie, inter quas tamen haud ma-  
lè convenit, se mutuò excipientes. Pacis etiam  
studiosus esse victor hostium potest, à quibus  
publicam quietem turbantibus, ad arma provo-  
catus pertractusque fuerat: ac bello, in quo vi-  
ctorias refert & triumphos, pax fida denique,  
ac firma paritur. Quò summâ vi contendet AU-  
GUSTUS noster. Quod pugnabit & enitetur  
impensissimè. Quod ut obtineat, nihil nec di-  
vinæ nec humanæ opis prætermittet. Magnas  
enim res proposuit animo: spesque suas longiùs  
misit, quàm plebejæ animæ cogitent: in *geminato*,  
aut potius *triplici AUGUSTO Fridericum ac*  
*Sigismundum* commiscens, & cum in *Electorum*  
*Saxoniae*, tum in *Regum Polonicorum* serie Augu-  
stus II. sed primis jam par, ac, si vixerit, duobus  
superior, certè neutri futurus dehinc secundus.  
In-

Inter ea consideranda, quæ parem reddunt conditionem fortunamque, quid origine ac genere similis? Prodiat Augustus I. è regnatrice in Poloniis Lithuaniaque domo, (a) è quâ duobus amplius seculis terræ istæ amplissimæ Principes sumere consueverant: ut in hæreditatem ac patrimonium abiisse videretur, quod veteri nec antiquato jure debebatur illis, qui sumti essent à legentibus, quos vellent. Noster FRIDERICUS AUGUSTUS, in regia Cæsareaque stirpe suâ, sublimiora folia, ipsamque Polonicum, in Jagellonica, è qua ortum quis ineptior ac morosior neget? insedit (b) Quod posterius ab aliis copiosè satis ac eleganter expositum, meo studio, ut exploratius habeatur, non indiget. *Sigismundum I.* Parentem AUGUSTI I. Principem immortalitate dignissimum Hartknochius vocat, (c.) qui virtutibus suis a Paulo Jovio, nobili Historico, meruerit in triga illa Heroum, ejus ævi præstantissimorum, reponi, & *Carolo V. Imperatori, & Francisco I. Regi Galliæ* adjungi; qui nisi simul, cum Sigismundo, imperassent, singuli digni fuerint, qui toti orbi imperarent. Nostri Parentem, D. JOH. GEORGIUM III. iisdem præconiis fama non moriens ex merito jactat, Heroem primi per orbem ordinis, & nulli suæ ætatis imparem, majore dignum Imperio, & trium invictissimorum Heroum, JOHANNIS III. *Poloni, Maximiliani Emanuelis, Bavari, & Caroli Lotharingici* socius, aut veriùs antesignanus in liberanda Vienna, & Turcis obsidentibus profli-

B

gan-

(a) v. Paft. ab Hirtenberg. Flor. Pol. L. IV. p. 263. (b) v. Programma universit. Lips. præmissum sermoni gratul. 97. fol. & scriptum aliquod German. quod de novo Rege Jagellonico in 4. vulgatum. (c) de Rep. Polon. L. I. c. 2. p. 90.

gandis. Alia Heroica ejus facta præteribimus, nulli non celebrata, & ad posteros laude, quantâ Heroes maximi efferuntur, transitura. Magnum est, à magnis productum esse: Sed solo genere gloriari, est alienis magnificè se ostentare plumis. *E virtutibus suis decus proprium existit Augusti I. de quo M. Antonius Muretus, (d) Orationum disertissimus prædicat, relictum eum à Sigismundo Patre, qui ad octoginta duos vixisset annos, non Regni magis quàm virtutum hæredem; & speciatim in eo extollit Pietatem, animi magnitudinem, fortitudinem ac constantiam, proq̃ve Republicâ Christianâ quotidianos labores ac pericula. Qui nostrum intuetur Augustum, imaginem videt absolutissimam Patris gloriosissimi, ac expressam in eâ affabrè magnitudinem animi paterni, adversis ipsis & periculis læti, constantiam in ausis, quæ intrepidè urget, præclaris, Fidem in Cæsarem omnesq̃ve cives suos mirificam, præstantiam roboris in armis elucescentem, quâ non secus ac D. Parens, asperitactu leonis instar, cruentâ irâ sæpius per medias cædes raptus est, patientiam laborum inusitatam, Belli sapientiam usu collectam, & Imperatorias artes multiplices, vasto pectore comprehensas, æstimat & suspicit. Quas res omnes pulcherrimas ex Patre didicit & quasi hæreditatem, cum ditionibus ad se translata, adeptus est, & indies magis amplificavit. Atq̃ve has dum recensemus, derogatam ei prætermittamq̃ve nolumus pietatem, in Augusto I. laudatam, ac DEI reverentiam, quam robora Sceptris conferre, fascesq̃ firmare, ac fulcire regiam,* ut

(d.) Orat. IV. P. I. p. 172.

ut Barlæi (e) utamur verbis, haud ignorat. Præcipuè colimus in eo laudem, quam Muretus Augusto I. tribuit, à majoribus suis acceptam hæreditariam, excubandi assiduè pro Christianis, & quicumq; hostes CHRISTI ac Ecclesiæ fuerint, eosdem habendi pro suis; quam se diligentissimè ut semper fecerit, conservaturum, neque unquam ab illorum virtute degeneraturum esse, interprete illo Lemoicensi, promisit Pio V. Pontifici. Qvalia & Noster pollicetur & reipsâ jam præstitit, & sicuti pridem designavit, intensissimâ molitur operâ: effecturus non suæ tantùm sed toti Christianæ Reipublicæ saluberrimas res, nisi porrò remorentur & intervertant consilia ejus, & animo destinata, eadem obstacula, quæ laudabilem in Augusto I. impetum sufflaminârunt. Querimonia ejus est per Oratorem à se conductum, à dissensionibus inter Christianos, Turcis utilibus, suis etiam populis Vicinitate ac contagio noceri, se nequicquam prohibente. Nec Pastorius (f.) diffitetur, Sigismundum Augustum aliquandiu voluntates Procerum multorum tam secundas haud expertum, quàm vel Pater vel ipse spe præceperat. Ac disertè ait, non intra silentium aut occultas voces stetisse offensas, nonnullis in ambitiosâ libertate, ut pro legum tutelâ, aliis privatâ magis stimulatione, quàm decoris publici curâ contendentibus. Interregnum nempe indicere voluisse creditos, ostentandæ ita diutiùs auctoritati, & ut tantò enixiùs liberaliusq; à Rege pressarentur. Quo certaminum æstu transacta comitia citra tractationem magis seriorum diffluerint. Quocirca dimissis ad Senatum atq; equitum præcipuos literis, de contumaciâ quorundam questus, suum erga Remp. affectum prolixè declaraverit: quas Antistes Gnesnensis, postea perstrinxisset, sequentis anni Comitibus, pari ferè eventu quo priora, finitis. **Annon eadem hodiè proh dolor!**  
fabu-

(e.) L. I. Her. p. 37. (f.) Flor. Polon. L. III. c. 7. p. 239. Et conf. Croviec. in l. admon ad Sigism. Aug.

fabula luditur, ubi distractis Magnatum voluntati-  
bus, & Republicâ secum ipsâ discorde, intestina in-  
ter factiones flagrant odia, nisi DEus ipse provide-  
rit, in civile bellum eruptura? Interim diffidorum  
hujusmodi scissuris ac altercationibus perpetuis,  
tot maximarum rerum opportunitates omitti, ho-  
stibusqve Christiani nominis tutam relinqui pos-  
sionem eorum, quæ injusta vi & furore furripu-  
erunt, ferociam quoque augeri, aut nondum per-  
domari ac frangi, quamvis tot cladibus castigatis,  
feriantibus, invito se, invictis ac fulminatricibus  
legionibus suis, ac tormentariis machinis advectis,  
Augusto nostro imprimis dolori est, hoc deplo-  
randum habenti malum, & calamitatem dirissi-  
mam; cui remedium usque adhuc non reperit, e-  
tiam si nihil non mansuetudine tentaverit haec-  
tenus, & vulnera Regni, non acri medicina, sed  
mulcendo sanare instituerit. O quantum terræ  
pelagique parari posset proxima æstate, si non  
hoc tempus per domesticas lites frustra consume-  
retur, & si sanguis generosus, qui ne hauriatur dex-  
tris, à civibus in civium jugulos directis, timen-  
dum est, in discrimen mitteretur honestius! Ni-  
hilominus persuasum est nobis, planiora emerfu-  
ra cuncta, plurimis jam reconciliatis & adhæren-  
tibus Regi, qui contrâ steterant, cæterisque mox  
etiam futuris placatioribus. Prætereà speramus,  
omen faustissimum & votum Generosissimi juve-  
nis, nuper in Halensi Academiâ nuncupatum (g.)  
haud fore irritum, quippe quo candore purissimo  
precatus est, *ut Noster Augusto I. sit melior: ut cu-  
jus nomen Poloniæ auspiciatum referat, ejus etiam*  
boni-

(g.) v. Joh. Siegfr. à Beichlingen Orat. Paneg. ad FRID. AUG. Poloniæ creatum  
Regem. Hal. 97.



*bonitatem felicitatemq; repræsentet. Atq; ve sic ad alia duo videmus nos devenisse, in quibus inter duos conformitatem & cernimus & optamus. Neque enim bonitas defuit SIGISMUNDO AUGUSTO, nec felicitas: quo gemino bono non caruit FRIDERICUS AUGUSTUS ad istum diem, nec, sicut prospicimus & auguramur, in posterum carebit. Bonitatis Augusti I. documenta & testimonia sunt varia. Eximium autem hoc præ reliquis, nec à nobis silendum, quod ipse quidem Pontificiis addictus factis, ab Evangelicis tamē, ut vocantur, nō fuit averfus, in quos propensionis ac studii luculenta potius deprompsit signa. Si Varsevicio Polonico scriptoris fides habenda est, quæ habetur meritò, Augustus Rex ille primus autor statuitur Lutheranae doctrinae tolerantiam fanciendi; quod in causâ templariâ Thorunensi palam fuerit. (h.) Indubitatum est nobis, eum in eadem fuisse sententiâ, in quâ postero tempore *Stephan. Battorem* fuisse ferunt, cujus hoc dictum circumfertur: *Tria sibi reservasse Deum, alteri non communicanda, ex nihilo aliquid condere, futura nōsse, antequam fiant, & conscientias dominari.* (i.) Factum inde, ut repagulis non objectis, & Rege nemini molesto, qui à Romanis descisceret placitis, Lutherana, ut dicitur, & Reformata religio brevi latius evagandi spatium occupavit in Poloniâ. (k.) Sarnitio in annalibus gentis teste, Rex fidei confessionem, oblatam ab Evangelicis, placido vultu excepit, manuq; non refugiente, ac sacerdotes eorum subinde audivit, ad populum verba facientes; è quibus aliquos in aulâ suâ etiam benignè fovit. Ut parum tunc abesset, quominus tota fermè Sarmatia Evangelicis*

C

doctri-

(h) v. Cenf. Candid. Sceptri Pol: d. anno 72. in Piaſto. (i.) Limn. Jur. publ. L. I. c. 13.

(k.) Sal. Neugebauer L. VIII. Hist. Polon. p. 572. seqv.

doctrinis imbueretur, cum Antistites nonnulli & complures sacris stolis insignes, in partem alteram proclives, nutarent. (l.) Non odisse AUGUSTUM nostrum nos Lutheranam religionem professos, quos servos Lutheri, convitio injurioso, adversarii vocitant, nec ferro, funibus, rotâ, rogis, ex tristi eorum formulâ, in nos sæviri velle, aut vi ac potestate compulsos cupere, ut alias, circa res divinas, sequamur opiniones, quàm quales primo quasi cum lacte suximus, arguunt edita humanissima, quibus trepidos labantesq; suorum fidelissimorum Saxonum animos erexit. In moderatione suâ charissimus Pater Patriæ idem iudicii comprobatur in se, quod Maximilianus II. augustissimus habuit, qui diversum svadenti Olmucensi Præsuli prudentissimè reposuit istud: *nullâ re gravius peccari, quàm tyrannide in hominum conscientias, eaq; tumultuantes cum terra filiis Gigantibus Cœli Capitolium invadere.* Argutè Zevcotius hoc referens, *nullam unquam tam fatuam civitatem fuisse arbitratur, quæ cetera omnia horclogia fregerit, quæ cum præcipuo eodem non sonuerint momento.* (m.) Si Catholicos admittere cogentur, major vitæ quàm mortis metus Genevensibus Priolus affirmat. (n.) Proh DEum immortalem! Quàm infelices ac miseri nos futuri essemus (o.) si non admittere tantùm illos, sed inviti quoq; in Principis transire obsequium, ejusq; voluntati sensum nostrum de divinis mysteriis, sacrorumq; ceremonias accommodare, per vim (quod *Noster* nunquam se facturum recepit,) cogeremur. Experientur similem æquitatem in se, quicunq; nobiscum concinentes Sceptro Polonico sunt obnoxii, gavisuri perpetuò libertate in credendo, colendo ve DEum, nullo à vim cuiquam intentantibus metu. Fructum bonitatis AUGUSTII. potissimum percepit *Civitas Gedanensis*, in quâ seditio num fomes ingressi *Regis moderatione ac benignitate* oppressi fuere. Constat ex monumentis probatissimis, Gedani commorantem illum, gratiam civibus prolixè obtulisse & exhibuisse, inspectis lustratisq; omnibus privilegiis, & tabulis, quibus immunitates illis concessæ, ac intemeratis inviolatisq; redditis. Ubi verò deinceps inclementius cum ipsis actum, non tam Principis irâ, quàm culpâ propriâ id mali accersitum, turbidis quibusdam ac inquietis incolis Regem sollicitantibus (p.) Gratiâ evidentiore complectitur AUGUSTUS noster Gedanenses, ob novissimum fidei eximiæ specimen sibi charos: ad quos comiter salutandos, & suâ benignitate coram exhilarandos iter Varsoviæ jam parat. AUGUSTUS I. tam facilis erat, ad condonandum errorem tormentariæ rei magistro, qui Regiomontum intrantem, imprudentiùs emissâ tubo æneo pilâ, ferè perculerat, ut indignationi etiam Alber-

(l.) Idem ib. & Paulus Piaffecius in Chron. p. 49. (m.) in observ. ad Flor. p. 14. (n.) L. I. rer Gallic. c. 20. (o.) Voluntarium DEus expetit pop. Ps. CX. 3. (p.) Reinh. Curike descript, urbis Dantischi L. II, c. 1, & L. III, c. 28. & M. Schüz. concione editâ.

Alberti Brandenburgici ardentissimæ illum eriperet, Polonosque compesceret ringentes: (q.) Non pilis per imprudentiam, sed injuriis consultò petitus est Augustus II. à plurimis eorum, qui alium Regem maluissent, adventu ejus offensi: sed quàm molle cor ostendit ipse ad redeuntis cujusque ad officium preces, solâ pœnitentiâ contentus? Quàm clementi facilitate invitat tergiversantes adhuc & allicit? Ut appareat, nil orbem ipso habere mitius: quod de Augusto Imperatore Ovidius non semel fassus est. AUGUSTUS I. quem toties nominavimus, dulci quadam nec difficili eminuit comitate, sine asperitatis mixturâ, sine tristitiâ. Orta erat in regno temporibus ejus ludicra illa Babinensis Respublica, cujus membra ij esse juebantur, qui arrogantiam suam ac ineptiam sermonibus indicaverant: Hujus mentione injectâ, interrogavit aliquando Rex, an Regis etiam in eâ jus decrevissent alicui? Cui cum ipse præfectus facetissimus dixisset? Absit à nobis improbitas ista, ut te vivente ac superstitie de alio Rege creando deliberemus: tu & hîc apud nos Rex esto: risit humaniter benignissimus AUGUSTUS, nullâ offensione proditâ vultu, verbisque, quæ regessit, risum omnium cumulavit. (r.) Non arbitror quenquam Poloniæ Procerum desiderasse hæcenus in AUGUSTO nostro prolixam comitatem & dulcedinem, quâ, ut gaudia interdum curis interponerentur, cum illis Cracoviæ ac Varsaviæ, salvâ Majestate, Hilaria egit. *Felicitatis Augusti I. notas exigis? Adspice vivo Patre Regem nominatum: Cerne Livonos redigentem in ordinem, Moschos fundentem præliis, provincias Lithuaniae repetentem & Polonico regno innectentem, Prussiam eidem vindicantem, Valachis eorumque Ivoniae Virtutem Polonorum invictam approbantem.* (s.) Vis felicia, quæ Augusto nostro evenerint, ut ea cum illis comparemus? Docebit purpura Electoralis, post excessum D. Fratris, & regia, post JOHANNIS III. obitum injecta humeris ejus: docebunt adversus Gallos Turcasque gesta, & plura, quæ meditatur, à famulanti fortunâ eum non destitui. Neque verò recusabit expeditionibus bellicis, ad quos duces & equites suos convocaturus est, adesse: quod à Sigismundo Augusto constitutum, (t.) & ante illum quoque cognitum, & à JOHANNNE III. frequentatum. Incommodum fortè alteri ludus ipsi erit & voluptas jucundissima. Hac explebitur & reficietur, cum ante signa ibit, & ordines ipse ducet, & suâ Virtute hostes, veluti clavâ Herculis prosternet. Angustia paginarum ne quidem per brevem capit omnium adumbrationem. In unum veluti nodum, quod superest, constringam, & paucis numeris includam ingentes summas. Qui laude debitâ fraudatum AUGUSTUM nec post fata noluere, Principem appellant eum moderatum, prudentem, Justitiæ amantem, liberalem, pacificum, lingvarum scientem, bonisque artibus ac imprimis secretioribus & mathematicis deditum; (u.) cui ob eam rem Varschevicius Historiam Æthiopicam

(q.) Past. I. c. p. 244. Neugebauer, L. VIII. Hist. Pol. p. 585. & Pol. rer. gest. Calendarium p. 34. (r.) Sarnitius L. VIII. Annal. Pol. p. 395. (s.) Past. I. c. Thuan. Hist. L. XXXVI. p. 727. f. Hoffm. Lex. univ. T. I. P. II. p. 351. (t.) ap. Januszov. L. VI. & Kojalowicz P. II. hist. Lithuan. L. VI. ad A. 1506. (u.) Past. I. c. p. 61. pol. Calend. p. 68. Reinold, Heidenstein, rer. pol. L. I. fol. 3. seq.

La 1783 A.

picam Latine redditam à se dicavit. (x.) lisdem planè titulis condecorandum Veritas ipsa sistit AUGUSTUM nostrum, cujus præsidio, propter hos observatos in eo, & favorem præcipuè in artes ac literas, Lipsienses Varrones acta Eruditorum commendârunt. Cum Saxonia nostra tum Polonia exultandi causas invenit, videns partim in illo reperiri, partim optans fieri verum, quod Johannes Demetrius Solicovius, Archiepiscopus Leopoliensis posuit in Oratione funebri, memoriæ Sigismundi Augusti consecratâ; Quâ inquit, Jagellonica domus Reges fuisse, ut apud exteras nationes semper moribus, comitate, beneficentiâ, & ob bella contra Barbaros feliciter gesta celebratissimos: ita apud suos propter singularem clementiam justitiam & sapientiam in summâ veneratione, charitate & benevolentia habitos. Tale enim eorum fuisse imperium, ut non tantum apud suos, sed etiam apud exteros eorum nomen omnis laudis commendatione vigeret. Desinentes nunc mutuabimur voces quasdam Alexandri Lahodovskii, (y.) quibus in Belgio Sigismundum I. Augusti Patrem honoravit, & aliquot nostris subjunctis, exclamabimus: Polonia, FRIDERICE AUGUSTE, per te non felix erit solum, sed etiam pulchra. Sarmatarum gravitatem venustate Misnicâ temperabis, & ut per Augustum Cæsarem Roma, sic per te Polonia ex lignea lateritiaque marmorea existet.

(x.) v. Petrus Ribadeneira Catal. Script. Soc. I. Schadaus contin. Sleid. p. alterâ L. X. p. 288.  
(y) v. Vernulæus p. I. Rhet. phorc. p. 117.

### Peroraturi ex promptissimâ memoriâ.

Die Mercurii.

- Prologus, Christianus Fridericus Schindlerus, Schneeberg. de Literarum ac imprimis Latine lingvæ studio Polonis familiari disseret, atq; suis commilitonibus audientium benevolentiam conciliabit.*
- Johann. Martin Anesorg, Annæberg. gratulabitur Carmine Latino Heroico, de adito regimine novo, Regi FRID. AUGUSTO, Saxoni.*
- Joh. Joachim Planck, Mislareuthâ-Variscus, Czaarem Moscov. Regi huic Poloniae conjunctissimum laudabit ob hoc ipsum, Carmine Græco Heroico.*
- Joh. Christoph. Boehm, Annæberg. Polonica genti gratulabitur de tanto Rege, laudaturus cum eo facientes, Oratione Latinâ solutâ.*
- Joh. Jacob. Scheuereck, Annæb. Panegyricum in Regem ac Electorem potentissimum recitabit in prosâ.*
- Christian Sigismund Zimmermann, Annæberg. Reprehendet pertinaciam Regi adversantium, & suadebit illis submissionem Carmine Germanico Elegiaco.*
- Daniel Neukirchner, Annæberg. Poloniae Regni laudatoriam Orationem habebit Latinam, sermone soluto.*

Die Veneris.

- Christian Hauck, Annæb. Elegiaco genere Latine Patriæ absentis dolorem & solatia exponet, absente Principe.*
- Johann. Heinn. Heinz, Dresdensis, Gedani laudes Oratione Latinâ in prosâ extollet, ob fidem in Reges suos.*
- Johannes Flader, Pratovall. recenset Oratione Lat. solutâ Polonorum Reges peregrinos lectos, & omnibus novum præferet.*
- Joh. Christian Jabn, Annæberg. Irrita emuli consilia Oratione Latinâ prosequetur.*
- Christoph Abraham Brunschûz, VViensensis, Latinâ Oratione hortabitur Poloniae Vicinos Reges ac Principes ad novum tutandum Regem.*
- Carl. Siegfried Pezold, Torgav. Turcis ac Tartaris hoc Rege malum minitabitur Latinâ Oratione.*
- Joh. Guilielmus Halxius, Bærenstein. Epilogus, de scriptoribus Polonicis in prosâ Latine loquetur, & simul NOBILISSIMO Senatui pro libris distributis omnium nomine gratias ager.*

F.R. 73.

8.

(X2045037)

Za  
1785

12

M. JOHANNIS JACOBI STÜBELII, Rectoris  
Annæmontani

# DISSERTATIO PA- NEGY

Comparationem certis in re

Principum, AUGUSTI I.

AUGUSTI II. hod

Poloniæ

## AD ACTUS C

### DE REBUS I

d. 2. & 4. Martii 1698, post

Observantiâ eâ & humanita

Scholarchasq; cæteros, Pa

& amplissimos, omnesq; sacri

Dignitate suâ Venerabiles, Musarum

& AMICOS, quibusvis

*Ad Perillustrem ac Ge*

## DN. WOLFF

### DIETERICU

### LINO

Dynastam in Tzschornâ, Da

mi ac Potentissimi Regis Poloniaru

Confiliarium sanctiorem, MECENATEM gratiosissimum.

Annæbergæ, Literis Davidis Nicolai.



K. 13. F.